



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Lucij mercatoris, & Nuti famuli eius calumniatoris funesta tragœdia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

etiam nos medicinæ medicinam apponemus, siue ea sit ex historici, siue è Poëtæ taberna sumpta. Parum id moror, in utroque genere possumus, seu quid factum, seu quid faciendum demonstrare.

## II.

Author est Ioan. Baptista Giralduſ Cynthius nobilis Ferrariensis, Italicus scriptor, apud quem hæc leguntur. Alfonso II. Duce Ferrariensi, Lucius honesti nominis, & copiosus mercator magnum sanè quæstum ex lana & sericis mercibus faciebat. Hic, in spem tabernæ custodiendæ, puerulum ex lapide emptum, liberaliter educabat, quem *Nurum* appellauit, *Ponirum* dictum ante, quàm emeretur, utriusque nominis mensuram egregiè impleturû; immò Theocrinem Tragicum Mundo daturum. Videbat enim ingenium in eo Mercurialibus negotijs aptum. Itaque confidebat, se præsertim magistro, insignes eum progressus facturum, euaſurumque aliquando & ipsum ditissimum institorem. Quam ob causam, ubi primùm adoleuit, omnem illi tabernæ suæ concedidit administrationem. In fauore indoles sæpe sanguinem præcedit. Mercator igitur, quamuis liberos haberet haud paucos, hunc tamen *Nurum* in negotijs expediendis prætulit; neque sanè etiam minore dilectione & cultu dignabatur, quàm vnum ex illis. Postquam autem ex ephebis excessit, præter lautum victum, stipendiis ei etiam dedit annum non contemnendum. Quin & mantillam honorariâ identidem addebat, ut & spiritus adderet. Accessit ad hanc benevolentiam alia occasio. E mercatorû collegio alius quispiam defunctus quingentos aureos, in testamento, reliquerat, ad arbitrium Lucij applicandos cuicumque iuueni, qui speraretur aliquando mercatorum societati profuturus. Hanc omnem pecuniæ summam Lucius *Nuro* suo attribuit, disertis verbis addens: se volente, posse illum hanc summam cum suis mercibus quæstui exponere, ut non in Lucij, sed in *Nuro* commodum excreſceret scæus: plura etiam atque maiora pollicitus, si modò, ut ad id tempus impigrè fecisset, ita virtutem & fidem porrò curâ haberet. Qua liberalitate incredibiliter exhilaratus *Nurus*, gratijs quàm potuit maximis Patrono actis, accepit conditionem, & extorcius pecuniæ in calendarium relata partibus triginta vnâ ipse sibi vendicauit. Mala indoles, etsi haber acetum in pectore, ta-

men

men beneficijs non fit grata: & pecuniæ cupiditas indomita est, cum inualefcit. Interlapfo biennio, ea *Nuti* pecunia incrementum sanè magnum fecit; longè tamen minus, quàm *Lucij*. Cœpit ergo *Nutus* suum cum heri lucro conferre, atque progressum, utriusque inter sese comparare; suspicere & admirari domini augmentum, suum contemnere, & nihili facere: denique sapienter scripsit Apostolus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentaionem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inuicilia & nocua, qua mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Quod etiam huic *Nuto* accidit, quem inuidia auaritia eò induxit, ut vilitatis suæ, & omnium beneficiorum oblitus, statuerit patronum suum non modò bonis & honore exuere, verùm etiam perfidissimè è vita exturbare. Et quia malis numquam voluntas, sed tantùm occasio peccandi deest, noctu diuque cogitabat, quo pacto, quæ heri erant, sua facere posset. Aliquando fortè herus nihil mali de *Nuto* suo (quem vbiq; ad nutum habebat obsequentem) suspicans, clauem ei Apothecæ tantisper tradidit, ut eam obseraret, pro more, mox reddendam. Et mox etiam reddidit, sed priùs clam ceræ ad id paratæ impressit. Ad eius exemplum clauem adulterinam trifurcifer fieri curauit. Noctu igitur cum fratre minore tabernam ingressus, plurimæque pretiosorum pannorum volumina, atque alia, quæ ipsius erant, sibi ipsi abstulit, & loco subterraneo paucis noto abstrusit. Lucio autem dormiente. Facto postea die, *Lucius* Apothecam suam visitauit; quam ut primùm reserauit, à nocturno fure compilatam fuisseprehendit. Ibi incredibile dictu est, quàm fuerit vehementer commotus, tantoque magis, quòd id damnum ad *Nutum* quoque pertineret. Primum ergo habuit, ut ad eum aduolaret, cui occurrenti cladem acceptam sollicitè nuntiauit, ab eo solatium, ab eo consilium, ab eo opem expectans. Sed longè alia omnia inuenit. Indoles nimirum, tempore duro, se prodere cœpit. *Nutus* enim ad hunc nuntium, vultum, & colorem, & vocem mutauit, & iracundo simillimus, Superos, inferosque inuocauit in vindictam. Mox etiam in *Lucium* acerbissimè inuectus, non dubitauit in eum culpam conijcere, immò ipsummet furti se alligaf-

1. Tim. 6.9:

B b b b

sc, di-

se, dicere: nam clauim penes ipsum solum fuisse, claustra integra esse; seris neminem vim adhibuisse; neque effractas fenestras; nulli igitur alij ingressum patuisse, nisi senecioni; iam demum apparere, quorsum sibi quingenti aurei, quorsum alia pecunia sint ad tempus potius concessa, quam donata; nimirum suam sic industriam fuisse excitandam, ut impensius laboraret, si heri lucra tamquam sua tractaret: nunc, cumulo satis aucto, omnia repente subduci, ut fructus cum radice penes dominum maneret. *Nimirum hac est merces mea, inquit, hanc pro tam fideli, sedula, ac diuturna viginti annorum seruitute gratiam fero? In hoc rem tuam auxi, ut perderem meam? Hac arte uteris, ut jam praetextu aliena furtiuitatis mea mihi iustissimo titulo acquisita velis circumscribere? Iuro, si quis Ferraria locus est iustitia, effecturum me, ut tu perfidiose veule, in malam maximam crucem tollaris.* Ad haec tot plaustra conuictiorum obstupuit senex, neque satis capere potuit adeo inexpectata tam clientis, & in eam usque diem obsequentissimi famuli sui infaniam: atque ut erat mitis ingenij, placidissime in haec verba respondit: *Hacne effutire audes, fili? Egone ut furari, ego tua ut furari ausim, cuius amore & gratia facere quiduis & pati paratus sum? quem haud aliter ac filium amo? quem e luto eductum educasi? cui tot munera contuli? cui omnia concedidi? Sine detumescere paulisper iram; pone furorem, & opinionem quoque istam pones.* Citius ira potest, quam malitia placari. Quare ad haec mitissime dicta, *Egregium vero amorem, subiecit verus litium crater Notus, qui tam diu, tamq; laboriose comportatum senectutis olim mea sustentaculum, opes minime modicas mihi audeat interuertere? Itane famulos tuos optime de te meritos, ita tibi fidelissime seruietes remuneras? Sed ita me superi adma sint, ut non permittam hac te de improbitate gloriari.* Dixit, & stomachabundus se proripuit ad Praetorem, nihil non comminiscens, ut Lucius ad carcerem, tandemque etiam ad furcam addiceretur. Ad id inducendum Praetorem multis rationibus contendebat. Multum in utramque partem potest fama, quae si bona est, tam facile numquam creditur, quod accusatur. Quia igitur Lucius tota vrbe vir in paucis bonus & honestus habebatur, nec vllus erat, qui de iniuria ab eo vnumquam accepta fuerit questus, praesumptio pro illo fuit. Quin & opulencia quoque Lucij non sinebat

bat credere, ad tam turpe eum facinus descendisse. Quare actorem seridè est cohortatus Prætor, videret, quid ageret; Lucium hæcenus in re nulla culpabilem repertum, & cunctis honoratum; temerè rem tanti momenti, contra dominum, præsertim à famulo, ad tribunal non deferendam. At Nutus: *Equidem*, aiebat, melius ego eum, & magis domesticè, quàm alij nouère. Quòd si vita eius rationem patefecero, equidem in stuporem omnes dabo, quosquos bene de ipso sensère ad hoc tempus. Interim tamen aliud à te non flagito, quàm ut, quod à te requirit iustitia, officium tuum facias. Victus importunitate Prætor respondit, Non commissurum se, ut officio suo defuisse videri possit. Itaque linguam magis Nuti, quàm causam Lucij veritus, illo dimisso, hunc per accensum ad se citauit. Quo præsentè, irato similis, *Na tu*, inquit, pulchra coronide voluisti honesta ceteroqui vita clausulam imponere, dum religioni tibi non duxisti, illi famulo suum interuertere, qui tot tibi annis operam tam gnauiam locauit. His auditis Lucius pænè extra se positus obtestari cœpit, ne hoc de se crederet; simul vt cognouerat, candidè factum commemorauit, diras capiti suo dirissimas imprecatus, si aliter res se haberet, ac diceret; eoque Deum, & Diuos testes, ac vindices implorauit, vocauitq; innocentia suæ patronos & defensores. At Prætor, *Quando seras*, inquit, nemo violauit, neq; claustris vim intulit; neque cardines effracti fuère; neque, ut tute confiteris, præter te vnum, clamim hypotheca in potestate habuit vllus, quis non videat, te magnis præiudicijs laborare? Cui quidem exceptioni satisfacere, cum non posset Lucius, lorarijs mandauit, vt eum lictores in carcerem abreptum tormentis subigerent ad veri enuntiationem. Interim tamen partim ex graui senis optima testificatione, partim ex verbis, quibus sese purgabat, & ipso vultu, quo innocentem se astruebat, animus illi prælagijt, fore vt tandem veritas prodere-tur. Quare, etsi tum Nutus quoque passim in vrbe Lucij sugillandi finem nullum faceret, commonuit secretò, quosquos nouerat lautos mercatores, vt ad prætorium concurrerent, & vincula torturamque Lucij stipulatione 20000 aureorum redimerent; donec ventilata causa, & comperto vero, reus innocens pronuntiarì posset. Factum, quod suggessit. Ita permissus tum quidem est domum se recipere Lucius, compariturus, quandocumque re-

uocaretur, & amissuris illis memoratam pecuniam, si aut fuga se subduceret, aut caussa caderet reus. Numquam fatigatur impedimentis cupiditas diuitiarum. Itaque nebulo ille lucri maioris auidus, cum Lucium nondum neci datum esse videret, cui vitam suam in acceptis referre debebat, libereq; domi degere, decurrit ad Alfonsum Ducem, & querula eiulatione multis est dequestus, Apud Prætozem, pauperum caussis neque locum, neque aurem esse; iniurias grauissimas negligi; diuitum nempe amicitias & munera præualere. Quod vt ostenderet, simul tanto verborum pondere, quam composuerat, fabulam recensuit, vt non de nihilo esse Duci persuaderet. Qui proinde ei promisit, effecturum se, vt posthac queri amplius non posset, ius sibi tributum non esse. Arnandato igitur à se homine nequam, sine mora Prætozem ad se euocauit, vultuosè sciscitatus ex eo: *Cur de manifestario furto accusatum mercatorem causam è vinculis dicere prohibuisset?* Cui ille retulit: *Rigorem legum equitate Prætorum esse temperandum, quarum finem, non verba debeant expendere. Enimvero cum accusatus huc usq; honesto semper nomine fuerit vbiq; notus, temere se facturum fuisse, si talem virum ad vnius serui denuntiationem in carceres continuo compegisset. Immo adeò sibi videri Lucium non affinem esse intenti criminis, vt potiùs coniectura sit probabilis admodum, per summam etiam calumniam fortunas eius ac vitam peti. Inhumanum esse, afflicto addere non citra iniuriam afflictionem. Sperare se, breui emerstram veritatem. Ceterum nihil omisissurū se, quod sui muneris esset.* Post hæc illi recensuit, vnde Coreggiarij (ex hac enim familia erat Lucius) accusatio sibi commentitia videretur; additq;: *Nisi civibus passim integritas eius viri longè esset testatissima spectatissimaq; haud sanè honestissimum mercatorum ordinem fidem suam ad tot numerorum, hoc est, 20000. pro eo fuisse interpositurum. Dum hæc à magistratu geruntur, Lucius his miseris ærumnis absolui cupiens, Nisi per certos quosdam homines vltro sponndit, damnum se ei omne de suo refarturum; & additurum insuper 500 aureos, si actione coepta desistens causam suam desereret, omitteretq; porro sibi negotium facessere. Sceleratus impostor, qui obuijs vlnis hanc liberalitatem debebat amplecti, nouam ex ea sumpsit occasionem Evergetæ suo lethaliter nocendi, Siquidem denuò ad Prætozem*

rorem cucurrit, & questus est, quòd veterator senecio malè sibi  
 conscius, suppliciumque metuens, dictam modò summam obru-  
 lerit, eaque se corrumpere voluerit. Nec aliud esse istud, quàm  
 apertam criminis perpetrati confessionem. Cui Prætor, *Nempe*  
*quid detrectas*, aiebat, *tam insignem condicionem, cum præter tuum,*  
*tantum rebus tuis auctarium accedat? Et meminisse debeas, exigere ra-*  
*tiones tuas ad communis humanitatis sensum, ut cum eo, à quo jam in-*  
*de à teneris ætus atq; educatus sis, non summo jure, qua summa esse di-*  
*citur iniuria, experiare. Et vel ex hac tam iniustate munificentia ob-*  
*latione ego haud iniuriâ colligam, illius intaminatam animi magnitudi-*  
*nem, statnamq; id scelus, quod tu illi affricas, minimè in illum cadere.*  
 Hisce velut telo percussus, pertinaciam tamen non mutavit *Nu-*  
*tus*, sed ita respondit: *Ego verò volo, ut de vetuli improbitate Orbi*  
*constet. Et, quandoquidem video, quàm agrè tute te permoneri sinas,*  
*ut, quod æquum est, pronunties, decurram sanè rursus ad summum &*  
*incorruptum iustitie mysten Ducem Alfosum, qui & me restituat in-*  
*integrum, & justum fonti decernat supplicium.* Dixit, & inde se fu-  
 riolo impetu proripiens, atque urbem vbique inconditis replens  
 quiritationibus, apud Ducem effecit, ut Prætori accersito seueris-  
 simè mandaretur diligens in causam inquisitio. Ibi Prætor Duci  
 prolixè ostendit, quibus religionibus augetur; Cur in carcerem  
 rapiendum Lucium esse haud existimârit: nec dubitare se, dixit,  
 quin brevi constiturum sit de lycophantia. Interea *Nutus* ut  
 dolum malum peiore neceret, cum aditum ad tabernam panna-  
 riam sibi non ampliùs patere videret, ianua pluribus seris commu-  
 nita, subornauit quemdam, ut, per speciem pannos empturi, ad  
 tabernam admissus, clam aliquid inferret secum è tela aurea, quã  
 ipse sibi clepserat, infereretque Lucij mercibus. Quod vbi ad ani-  
 mi cessit sententiã, denuò fatigatum Prætorem eò adduxit, ut li-  
 ctos mitteret, qui num delatoris merces inter merces Lucij com-  
 perirentur, inquirerent. Mittuntur, & opportunè Lucium in ipsa  
 taberna reperiunt, qui dum, ut fit, sui panni volumina hinc inde  
 volutat, explicat, complicat, auream quoque telam deprehen-  
 dens, licitoribus spectantibus subitò rubore perfunditur, & colore  
 fateatur, cuius reus non erat. Inuolant lictores, & telam è mani-  
 bus illi eripiunt, hanc ipsam quoque sibi asportatã queri *Nutum*  
 B b b 3 dicentes.

dicentes. Necessitatem igitur Lucio secum ad Prætorem eundem imponunt: qui haud grauatè obtemperat. Ibi rogatus de tela, ingenuè factus est, se eam inter suas merces reperisse, sed à se ibi nequaquam repositam esse, videri vel magicis artibus, illuc venisse; vel ab ipso cacodæmone eò importatam esse: innocentiam suam mirabiliter tentari. Prætor torua fronte ferociam fingens, *Quin tandem*, inquit, *tot præjudicijs pressus celare crimen desinis? non patè. resentiis jam fraudem?* At ille nullum non lapidem mouit, vt innocentiam suam astrueret. Ita inter se agentibus Prætore & Lucio superuenit Nutus, & velut vnguis, quod dicitur, in vlcere, exarserbavit causam, flammamque camino addidit: efficere tamen non potuit, vt manus aduersario, aut vincula inijcerentur. Adduci enim se Prætor non patiebatur, vt grauius in Lucium consuleret prius, quàm cum Duce ipse egisset de impostura, quam conijciebat ex sollicitudine accusatoris. Sensit id sceleratus *Nutus*, & rursus præuertens apud Ducem ipsum Prætorem quoque vt reum accusauit, vt qui suam contemneret paupertatem, & Lucij opes vereretur, semperque juris processum procrastinaret, nec furem dierectum mulctaret. Urgebat autem supra modum telam auream in taberna Lucij inuentam. Et quò non venit vindictæ cupiditas, immò auiditas habendi? ausus est temerarius accusator dicere, ad suspendium se adactum iri, nisi Ducem Prætore æquiores experiretur. Qua tam effroni audacia motus Dux sigillatim voluit à Prætore de omnibus edoceri, atque intelligere, cur carceres differret, atque ad torturam non procederet? Prætor, famam, innocentiam, agendi modum, quo Lucius utebatur; *Nuti* autem importunitatem, & suspicandi causas ita Duci exposuit, eiq; adeò satisfecit, vt totam causam eius arbitrio ac prudentiæ permitteret. Ita à Duce discessum est. Poterat irritari meritò Lucius tot iniurijs ab ingratisimo *Nuto* affectus, quia tamen mitis erat animi, denuò, lite pendente, honestos viros ad *Nutum* ablegauit, qui suo nomine, amicè rogarent, vt tandem à se innocente accusando desisteret; spondere se ei, non modò indemnem eum futurum, sed, præterquam, quòd in integrum eum sit restitutus, & redhibiturus 500 nuper promissos aureos, posthac, toto decennio, se ei permissurum dimidium lucrum, quod ex diuenditis mercibus è sua



sua taberna ad se solum esset rediturum. Sed, ô ingratos mortales! ô hominem effrontem! etiam his condicionibus noluit subscribere *Nutus*, immò iam Chius aut Abydenus, non *Nutus*; dicitans, jam sibi non licere, cœptam apud magistratum litem causamque deserere; & suspicionem calumniæ in se vertere. Itaque ultima voluit experiri, vt aduersarium è vita exturbaret. Abierat annus, hac calumniæ tragœdia durante. Interea vxor Lucij tantæ infamiæ impatiens, præ luctu mortua est. Lucius autem & tori consorte ægrè carens, & liberis tamen obtrudere nouercam, nolens, puellam deamavit haud procul à suis ædibus habitantem, gnaram tractandi sericum, atq; operâ Phrygia conficiendi. Huius domum, cùm *Nutus* ab Lucio celebrari non ignoraret, sperauit. eius opportunitate tandem se exitialem tragulam illi iniecturum, Misit cum corbe fraterculum, qui in eo dibapham ædibus amasiæ, quam domo abesse explorauerat, inferret, ac retro lectum destitueret, indeque sese actutum subduceret. Interim ipse curriculo se ad prætorem contulit, lictoresque, qui in domo amasiæ illius anquirerent, poposcit. Adeò contumax est malitiosè persequentis animus: adeò inquieta calumniandi libido. Sed nihil attraxit funis *Nuti*. Lucius quippe toties ictus, totque malis exercitus, tandem sapere, & calumniatoris sui machinationibus attendere didicit. Cùm ergo vidisset, fratrem *Nuti* nescio quid pallio tectum gestare, ac furtim se in ædes amasiæ suæ penetrare; è vestigio eum infecutus, eodem se intulit, puerumque dibapham, ponè mulieris lectum deponentem deprehendit. Illico igitur irruit, manus iniecit, & aduocato famulorum subsidio, impostorem cum purpura & sportula ad Prætorem adduci curauit, eo ipso tempore, quo lictores procurabantur, ad perscrutandam amasiæ domum. Puer conspectu Prætoris conterritus, stropham omnem fratris detexit: quin & historiam omnem de compilata à se, atque à fratre suo, taberna pannaria, per adulterinam clauem reserata, percensuit, non solum Prætore, sed etiam multis alijs, atq; ipso quoque Lucio audiente. Quis tunc lætior Lucio, qui expeditum se ærumnis maximis sentiebat? Et tamen adeò bonæ erat mentis, vt gaudium hoc non paruo dolore perturbaret, eò quòd videret, *Nutum*, quem à puero educarat, & tanto opere semper dilexerat,

dilexerat,

Matth. 5. 44.

dilexerat, suo loco implicari, & de capite periclitari. Etsi enim eum tam immemorem beneficii, tamque iniurium, & adeo exco- gitata deliberataque malitia pertinacem expertus esset, tamen antiquus amor prævaluit; & versabatur illi in mente Christi præceptum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persecutibus, & calumniantibus vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in calis est.* Itaque statuit eum statim de discrimine, in quo versaretur certiozem facere, & ad fugam hortari. Tam eâ causâ à conclavi Prætoris egressus scalis imminēbat, cum illi occurrit *Nutus*, existimans omnia, quæ per fratrem minorem machinatus erat, probè gesta esse; effecturusque ut lictores maturè mitterentur ad ædes amasia perscrutandas. Cui *Lucius*, ô *Nute*, ni a *Nutum* te hinc amoliris, perijisti. *Patent omnia Prætori. Vincula tibi inijciēt; malum maximum dabit. Nutus* amentia cæcus ab irato hæc dicitur, extemplo mille in *Lucium* conuitia regessit. Ille autem etiam atque etiam rogauit, ut fuga sibi consuleret; non esse ampliùs simulandi locum. Quantò magis rogauit herus, tantò minùs illi credidit *Nutus*, altiùsque clamauit. Qui ut caperetur, iam mandaturus erat Prætor, cum audiit foris iurgantium voces, januaque repentè reducta conspexit ipsissimum *Nutum* pessimis conuitijs herum suum innocentem proscindere. Neque eius aduentu motus est homo nequam; sed magis efferatus in-ipsùm iudicem inuehi coepit, quasi rem jam confectam haberet: Et, *Hæcine Ferraria iustitia est, exclamauit, sic jura dispensantur? Nempe qui ditior est, innocentior est? pauperem quauis suspicio facit reum? Sunt Superi, qui hæc audiunt, qui vident, qui vindices erunt.* Adhuc plura erat declamaturus, sed interrumpens Prætor, *De iustitia*, inquebat, *noli dubitare; dabit illa tibi, quod tuum est,* & cum dicto eum introduci præcepit, ubi adhuc frater eius cum corbe, & dibapha morabatur. Quo viso, ita animo concidit *Nutus*, ut verbum nullum haberet in potestate. Tandem demum ad se rediens, de furto abs se commisso est confessus, & velut repentè alius factus, avaritiam, inuidiam, ingratitude, mendacia, technas, & calumnias suas accusans in genua procubuit, & misericordiam appellauit. Prætor, omnes qui aderant, iubebat horum meminisse: mox *Nutum*, ut indignitas rei poscebat, seuerissimè increpitum in carceres abripi præcepit:

pit: illud coronidis loco adijciens, Tandem justitiam toties, non imploratam, sed irrisam atque despectam, dignam meritis mercedem Nuto daturam. His actis, it calumniator ad vincula, fama per urbem, Prator ad Ducem; qui cognitis quæ acciderant, collaudata prudentia Pratoris, quod sententiam in innocentem non præcipitavit, statuit, ut eadem etiamnum luce, teterrimus calumniator, per totam undique urbem virgis concideretur, tandemque cum fratre in crucem ageretur. Quia verò hic ætatis annum 14. nondum excefferat, vitæ illi gratia facta est. Itaque de tergo tantum luit, ac postea in exilium abactus est, & corpore, & famâ lacerata; fratre & hominibus, & ventis in ludibrium facto: qui herum suum de furto infamans, ipse non solum de furto, sed etiam, tamquam impudentissimus, & crudelissimus calumniator, & infamatus, & in patibulum sublatus pependit; qui ut Pattæione calumniosior, ita meritò etiam Tigellino infeliciofior fuit.

Multa hinc elucet documenta: mundi cursus; hominum error in seligendis, & diligendis clientibus; mortalium ingraticudo; avaritiæ atque cupiditatis, itemque invidiæ malum; iudicum cautela; desperatissimorum audacia, mira Numinis providentia & iustitia. Sed ego duo dumtaxat vltima hinc proponam consideranda, quorum vnum erit pro ijs, qui patiuntur, alterum pro ijs, qui faciunt calumniam; ut & illi solatium, & isti metum hauriant, quo à calumniando deterreantur. Lucius vnum, Nuto præbet alterum documentum. Lucius passus est innocens? Fortasse non fuit innocens. Nam etsi Nuto nihil abstulit, quis scit, an in alijs lucris comparandis semper fuerit æquus? & si fuit ipse æquus, quis scit, an non parentes eius iustitiam violârint? cum antiquo verbo dicatur: *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres*. Certè cum, defunctâ vxore, maluit amasiam habere, quàm liberis nouercam inducere, non fuit innocens. Sæpe autem, & iustissime Deus iniurias inferri nobis permittit, in ijs rebus, in quibus sumus innocentes, ut luamus in alijs, in quibus sumus nocentes. Ideò iustos permittit Deus hic vexari, ait S. Chrystomus, ut si quas habeant maculas hic eas deponant. Et hoc patriarcha declarans ad diem dicebat, Quia Lazarus hic recepit mala sua, vnde consolatio nem accipit nuno. Atque esto, fuerit innocens Lucius, tamen de-

III.

S Chryf. homil. 7. ad pop.

Cccc

buit